



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. VII. Ob illusiones in Oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

aufferretur ab eo stimulus carnis, Angelus Satana, & tamen rogavit, & non accepit, quia tempus adhuc erat exercenda infirmitatis. Petiit Job tentandum Diabolus, & accepit. Attendite, Fratres mei, magnum Mystrium discendum, repetendum, tenendum animo, nunquam obliviscendum propter abundantiam in hoc seculo. Quid dicam? revera comparandus Apostolus Diabolo? Apostolus rogat, & non accipit. Diabolus petit, & accipit. Sed non accepit Apostolus propter perfectionem suam, accepit Diabolus ob damnationem suam. Denique ipse Job accepit sanitatem in opportunitate; dilatus est enim, ut probaretur, & diu sedens in pulvere, & rogabat DEVM, ut auferrentur ab eo ista, & DEVS non auferabat. Citius Diabolum exaudiuit, ad eum tentandum? quam ipsum Jobum ad Sanandum, ideo concessus est iste tentandus, ut eo probato esset cruciandus. Discite ergo non murmurare adversus DEVM &c.

§. VII.

Tentatio VII. circa illusiones in oratione.

XLV. **A**lipius Novitius audiens, Dæmonem nulli ferè rei, quam orationi magis insidiari, atque adedè varijs illusionibus fructum illius impediri conari, vehementer timet, ne & sibi similibus tentationibus imponat ille Veterator; quare tentationem hanc suam, sollicitudinemque Confessario suo aperit, & contra ejusmodi illusiones instrui, & armari petit. Quæritur, quomodo id præstare debeat Confessarius.

Responsio.

XLVI. Inprimis illi significet, varias quidem esse illo-

illusiones, quibus Dæmon Orantibus imponere solet, sed easdem ad quatuor præcipuè genera revocari posse, scilicet ad materiam, formam, finem, effectum orationis, uti ex dicendis apparebit. 1. Itaque ostendat, circa Materiam orationis eatenus ipsum illudere, quatenus persuadet orantibus, ut non nisi materias sublimes pro Meditatione eligant, variasque in ea revelationes & apparitiones desiderent; cui illusioni occurrendum est ostendendo, quòd hoc ipso, quòd Novitius iste adhuc parvulus sit in perfectione, lacte potiùs, quàm solido cibo refici opus habeat, ne si istum temerè sibi eligere præsumpserit, ab eo suffocationis magis, quàm fructuosæ refectiois periculum incurrat. Addat etiam, quòd revelationes, hoc ipso, quòd sint extraordinarius DEI favor, qui nec magis Sanctum facit, si adsit: nec minùs Sanctum, si absit, meritò non sint petendæ à DEO, sed potiùs si dentur, cum magna reverentia & humilitate acceptandæ, &, quantum fieri potest, occultandæ exemplo Christi sæpius prohibentis, ne miracula à se patrata manifestarentur. Hinc S. Bernardus rectè monet, illam Isaia c. 14. sententiam: *Secretum meum mihi: in parietibus cubiculi, aut certè in ipso corde esse scribendam.*

XLVII. Secundò ostendat, circa formam Orationis Dæmonem illudere, quatenus impellit ad cæremonias sacras & situm corporis decentem in oratione contemnendas, quasi incipientibus magis, quàm perfectis convenientes; cui illusioni occurrat Confessarius, ostendendo cæremoniarum istarum utilitatem, utpote quæ perinde conducunt ad virtutes conservandas & acquirendas, sicut accidentia ad substantiæ productionem.

ductionem & conversationem ; & præterea faciunt ut homo non secundum animam duntaxat, sed corpus etiam servitio Creatoris impendatur, sicque perfectum fiat holocaustum ; quæ ratio sanè persuadenda, ab ipsis etiam perfectis tantò accuratiùs esse observandas, quantò magis ab ijs, quàm ab imperfectis ejusmodi holocaustum expectatur.

XLVIII. Tertio ostendat circa finem orationis illud de dæmonè quatenus impellit ad orationis exercitium tanti æstimandum, ut præ illo aliarum virtutum, obedientiæ præsertim, & mortificationis studiù negligatur, qui error, teste Granatensi l. 2. c. 57. est unus ex primarijs qui in hac vita solent occurrere, imò & ex universioribus. quia in omnibus, & per omnia destruit vitam spiritualem, quæ est divinæ legis adimpletio, ad quam oratio velut medium ordinatur, quem tamen Ordinem hic error invertit, dum ex mediò finem, & ex fine mediò facit. Quare ut huic illusioni solidè occurratur, ante omnia Christi verba Luc. 9. præ oculis habenda sunt : *Quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quare ita expectat, & recipiat donum orationis, ut tamen semper meminerit, sibi non tantùm in colle thuris, sed etiam Myrrha hæ commorandum esse. Sequatur item morem viatorum, qui ita intrant hospitium, & jentaculum sumunt, ut tamen simul etiam sollicita sint de eo, quod restat, itinere peragendo ; similiter ergo & ipse fruatur divinâ dulcedine inter orandum haustâ, ut tamen se resolvat, ac paratus sit, ad reliquum vitæ iter per asperas vias tribulationum, amore illius, à quo tantò suaviter recreatur, sustinendarum conficiendum.

XLVIII

XLVIII. Quartò illi ostendat, circa fructum & effectum Orationis illudere Dæmonem solere, dum vel ad Magistros Spirituales contemnendos Instigat, eò quòd per Orationem ipsi à nobiliori Magistro instruantur: vel certè ad alios, qui non tam bene orare nòrunt, præ se nihili faciendos incitat; cui utriusque tentationi occurrendum erit, ostendendo in primis, quàm constanter DEUS hunc morem tenuerit, ut homines pro instructione ad homines miserit, ita ut ipsum S. Paulum ad Ananiam pro simili instructione ablegarit, atque ideo multos, qui ejusmodi instructionem & humilitatem neglexerunt, dono orationis privaverit, uti ex Hæresiarcharum, aliorumque Spiritualium virorum ruina patet. Deinde pariter ostendat, quàm insipienter faciat, alios ob minùs perfectam orationem contemnendo, cum, sicut à circuli peripheria variæ lineæ tendunt ad centrum; ita variæ quoque sint in hoc orbe viæ ad DEUM, qui centrum nostrum est, perveniendi; unde ergo scit, quòd alius non æquè bonam, aut etiam compendiosiore, v. g. viam mortificationis, elegerit; aut etiam ex ipsa sua oratione licèt arida & minùs perfecta plùs meriti & fructùs reportarit; ut ad eòd hinc maximè locum habeat illud Apostoli Rom. 14. *Is, qui manducat (& bene orat) non manducantem (aut minùs benè orantem) non spernat: Et qui non manducat (aut orat) manducantem (seu suaviter & bene orantem) non judicet.*

* *

E

CAPUT